

QVÆSTIONVM SVPER EXODVM

Gros dicunt, Sed utiq; ista lex non solis viris in populo, verum etiam foeminis data est. Neque enim quia dictum est, Non concupisces vxorem proximi tui: nihil sibi hic præceptum debet putare foemina, tanquam licite possit concupiscere virum proxima sive. Si ergo hoc ex illo quod viro dictum est intelligitur, quantum non dictum sit & etiam ad foeminam pertineat: quanto magis ex eo quod dictum est, non moechaberis, uterque sexus constringitur, cum & ipsum præceptum potest referri ad vtrumque, sicut non occides, non furaberis, & alia quæ similiter non expresso vno sexu vtrique videntur sonare communiter, Tamen ubi vnus exprimitur, honoratior vtrique exprimitur, id est masculinus, vt ex hoc intelligat etiam foemina quid sibi præceptum sit. Ac per hoc si foemina moechata est habens virum, concumbendo cum eo qui vir eius non est, etiam si ille non habeat vxorem: etiam vir moechatus est habes vxorem, concumbendo cum ea quæ vxor eius nõ est, etiam si illa non habeat virum. Sed vtrum si faciat qui vxorem non habet cum foemina quæ virum non habet, ambo præcepti huius transgressione teneantur, merito quaeritur. Si enim non tenetur, nõ est prohibita in decalogo fornicatio.

H sed sola moechia, id est adulterium: quantum omnis moechia etiam fornicatio esse intelligitur, sicut loquitur Matth. 5. scripturæ. Dñs enim dicit in Euangelio, Quicunque dimiserit vxorem suam excepta causa fornicationis facit eam moechari. Hoc vtrique fornicationem appellauit, si cum alio peccet quæ viri habet, quod est moechia, id est adulterium. Omnis ergo moechia etiam fornicatio in scripturis dicitur, Sed vtrū etiam omnis fornicatio moechia dici possit, in eisdem scripturis non mihi interim occurrit locutionis exemplum: sed si non omnis fornicatio etiā moechia dici potest, ubi sit in decalogo prohibita illa fornicatio quam faciunt viri qui vxores non habent, cum foeminis quæ maritos non habent, vtrū inueniri possit, ignoro. Sed si furti nomine bene intelligitur omnis illicita vfurpatio rei alienæ: non enim rapinam permittit qui furtum prohibuit, sed vtrique à parte totum intelligi voluit, quicquid illicitum rerum proximi aufertur: profectio & nomine moechiæ omnis illicitus concubitus atque illorum membrorum non legitimus vsus prohibitus debet intelligi. Et quod dictum est, Non occides: non putandum est fieri contra hoc præceptum quando lex occidit vel occidi aliquem deus iubet. Ille enim facit qui iubet, quando ministeriū negare non licet. In eo etiam quod dictum est, Falsum testimonium non dices aduersus proximum tuum: quaeri solet, vtrum prohibitum sit omne mendacium: ne forte non sit hoc præceptum aduersus eos qui dicunt tunc esse mentendum, quando istud mendacium prodest alicui, & nihil obest ei cui mentiris. Tale quippe non est aduersus proximum tuum, vt ideo videatur hoc addi disse scriptura, quæ posset breuiter dicere, falsum testimonium non dices, sicut dixit, non occides, non moechaberis, non furaberis. Sed hinc magna quaestio est, nec à festinatis commodè explicari potest quomodo accipiendum sit, Perdes omnes qui loquuntur mendacium: & Noli velle mentiri omne mendacium: & cætera huiusmodi. Et omnis populus videbat vocem & lampades & vocem tubæ & montem fumantem. Solet quaeri quomodo populus videbat vocem, cum vox non ad visum, sed potius ad auditum pertinere videatur. Sed sicut dicitur, sicut modo dixi, videatur de omnibus quæ à me dicta sunt, sic videre solet pro generali sensu poni, non solum corporis, verum etiam animi: Vnde est illud, Cum vidisset

Gene. 24 Jacob, quia sunt esclæ in Egipto: vnde videtur absens erat. Quamquam nonnulli videre vocem nihil aliud arbitrati sunt esse quam intelligere, qui visus mentis est. Cum vero hic breuiter dicendum esset, quod populus

videbat vocem & lampades, & vocem tubæ ac montem fumantem, quaestio maior oritur quomodo audiebat lampades, & montem fumantem, quod pertinet ad sensum videndi: Nisi quis dicat, nec tam breuiter dicendum fuisse: sed vt totum diceretur, audiebat vocem & videbat lampades, & audiebat vocem tubæ & videbat montem fumantem. Duo quippe genera vocis erant: & de nubibus, sicut tonitrua: & tuba, si tamen ipsam dixit vocem quæ de nubibus aëdebat: ac per hoc melius in ijs quæ ad sensum audiendi pertinebant generalis sensus est positus, hoc est videndi, cum breuiter totum vellet scriptura completi, quam vt in ijs quæ pertinent ad videndi sensum, subintelligeretur auditus: quo more loqui nos solemus. Nam vide quid sonet, solemus dicere: audi quid luceat, non solemus.

LXXIII. Loquere tu nobis, & non loquatur ad nos deus, ne quando moriamur. Multum & solide significatur ad vetus testamentum timorem potius pertinere, sicut ad nouum dilectionem: quāquam & in veteri nouum lateat, & in nouo vetus pateat. Quomodo autem tali populo tribuatur videre vocem dei, si hoc accipiendum est intelligere, cum sibi loqui timeant ne moriantur, non satis elucet.

LXXIII. Et dixit eis Moyses, Constantes estote, propterea enim venit deus ad vos tentare vos, vt sit timor eius in vobis ne peccetis. Sic illi cohibendi fuerant à peccatis, vtrique timendo ne poenas sensibiles paterentur, quia nondum poterant amare iustitiam: & in hoc erat eis tentatio à domino qua probabantur, vt apparerent cuiusmodi essent: non vt deo noti fierent, quem non latebat qualeseunque essent, sed vt inter se ac sibimet. Multum tamen istis terroribus testamenti veteris differentia commendatur, quod etiam in Epistola ad Hebræos apertissime dictum est.

LXXV. Moyses autem intrauit in nebula ubi erat deus: id est ubi expressiora fiebant signa quibus cognosceretur deus. Nam quomodo in nebula erat, cum cæli cælorum non sufficiant, nisi quemadmodum nusquam non est qui in loco nullo deest. Non facietis vobis deos argenteos, & deos aureos non facietis vobis sipsis. Reperitur quod in primo præcepto inculcatum est, & ex dijs argenteis & aureis vtrique omnia simulachra intelliguntur, sicut in illo etiam Psalmo, Idola gētium argentum & aurum. Quæ de seruo Hebræo præcipiuntur, vt sex annos seruiat & dimittatur liber gratis, ne serui Christiani hoc flagitent ad dominis suis, Apostolica authoritas iubet seruos dominis suis esse subiectos, ne doctrina & nomen dei blasphemetur. Illud enim ex hoc satis constat in mysterio præceptum, quia & pertundi subula eius auræ ad postem præcepit deus, qui libertatem illam recuset.

LXXVIII. Si quis autem venderit filiam suam in famulam, non abibit ita vt ancillæ recedunt. Quod si non placuerit domino suo quam non adnominauit eam, remunerabit eam: Genti autem exteræ non est dominus vendere illam, quoniam spreuit in ea. Quod si filio adnominauerit eam, secundum iustificationem filiarum faciet ei. Quod si alia accipiet ei, quæ opus sunt & vestem & conuersationem eius non fraudabit ei. Si autem tria hæc non fecerit ei, exibit gratis sine precio. Obsecrissimum locum inuitatæ locutionis fecerunt, ita vt interpretes nostri quemadmodum eum explicarent penè non inueniret. In ipso quoque Græco eloquio multum obscurum est, quod hic dicitur. Tamen quid videatur vt potero aperiam. Si quis autem, inquit, vendiderit filiam suam in famulam, id est, vt sit famula, quam *θηλυθη* Græci vocat, non abibit ita vt recedunt ancillæ: intelligendum est, non sic recedat quomodo recedunt ancillæ Hebrææ post sex annos. Eam quippe oportet etiam in foeminâ Hebræam legem datam intelligi quæ seruatur in maribus. Cur ergo ista non ita recedat, nisi quia in illo famula

Psal. 5.

LXXII.